

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Institutiones Theologiæ Mysticæ, Seu Facilem & practicum modum  
Exercitia Spiritualia S.P. Ignatii Loyolae per octiduum faciendi - item  
triduanam recollectionem fructosè instituendi complectens, Et  
Sacerdotibus Præcipuè, aut de Sacerdotali Statu suscipiendo  
deliberantibus accomodata, Una cum ...

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1680**

Med. III. De Religione & cultu Sanctorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48834](#)

Rege petere & impetrare, quod volerit Reo, posse à Jūdice re-  
niā petere, & pñræ remissionem obtinere? Discipulo, pos-  
se sapientissimum Magistrum docentem audire? Sponsz,  
posse colloqui cum eo, cujus labia sunt favus distillans, m̄  
& lac, sub lingua ejus?

## Punctum III.

Perpende media ad hunc finem conductentia.

Primum est, magnam de his Exercitiis estimationem, magnūmque ad illa desiderium habere; hinc P. Balchus volebat, Religiosum extra orationis tempora molati lapidū extra centrum constituto similem esse, & impedimento ablatō inox ad orationem redire.

Secundum est, omnes industrias accuratè adhibere, ad imitationem B. Aloysij, qui tantum studij in ijs ponebat, si omnium virtutum summa in ijs veriteretur.

Tertium est, removere fortiter quadruplex impedimen-  
tum, scilicet culpam mordentem, curam pungentem, afflictum vigentem, & tribulationem cruciantem, uti S. Bernar-  
dus recte advertit.

## Pro VI. Die.

## DE RELIGIONE ET CULTV SANCTORVM.

## M E D I T A T I O III.

## Punctum I.

**C**onsidera I. Inter alia obsequia, quibus debitum DEO cultum exhibere possis, non postremum esse, si ipsius juxta consilium S. Davidis Pf. 150. laudare studeas in Sanctis ejus; ut enim summam de aliquo Principe estimationem ju-  
re merito concepisse creditur, qui etiam famulis illius (ma-  
xime quos ipsi Principi magis dilectos esse novit) peculiari  
honorem & benevolentiam exhibere conatur, ita non  
minus insignem suum erga DEUM affectum manifestabit, qui  
peculiari studio Sanctos & Electos ejus colere satagit.

Considera II. Quod idem Sancti propter obsequia, que  
DEO tum in terris olim exhibuerunt, tum etiamnum exhiben-  
t in cælis, summum à te merito cultum exigere videan-  
tur. Dic enim, si scitis hominem, qui te plus quam omnes  
alios, imò plus etiam, quam scipsum amaret, qui totum se obse-

obsequio tuo, cultuque impenderet, qui nihil aliud desideraret & ageret, quam quod tibi summè gratum honorisclique esse agnosceret: dic, inquam, an non tu vicissim hunc hominem summè amandum, colendumque tibi esse existimes? atqui scito, hæc omnia Sanctos DEO ipsi obsequia præstare; Cùm ergo tu DEUM plus quam te ipsum amare te dicas, atque adeò obsequia quæque eidem exhibita pluris aestimes, quam si tibi ipsi collata fuissent, an non clarissime vides, summè te obligatum esse ad Sanctos hos, velut Summos tuos benefactores, & amatores singulari studio colendos, maximè cùm etiam Sanctissimos, Sapientissimos, potissimumque (quæ tria cultum & reverentiam præcipue conciliant) esse nōris?

Considera III. Quanta fuerit hactenus negligentia tua, ut qui non modò debitum tantis amicis tuis cultum & amorem hactenus negaris, sed ne obligationem quidem tuam satis cognoscere studueris. Colloquium ad eosdem SS. Patronos.

### Punctum II.

Considera I. Quanta commoda & beneficia sperare posses, si prout decet, Sanctorum horum cultui sincèrè constanterque te impenderes. Quantam iuprimis alacritatem diligentiāque, in omnibus tuis actionibus essem ostensurus, si omnes Sanctos, earundem actionum tuarum Arbitros & Spectatores esse nōsses. Quantam deinde in omnibus necessitatibus tuis fiduciam essem concepturus, si tot, tamque potentes advocatos pro te supplicate meminisses? si enim S. Hieronymus dicere ausus est, nunquam se legisse, aliquem fuisse mala morte defunctum, qui libenter opera charitatis exerxit, eò quod habeat multos intercessores (pauperes videlicet) impossibile autem sit, multorum preces non exaudiri; quanto magis impossibile erit, Sanctorum tam perfectas pretes repulsam pati? quantam denique in omnibus periculis securitatem experturus essem, si tot fortissimorum militum exercitu te vallatum scires; an non illud Elisæi tibi occinetes; noli timere, plures enim pro nobis stant, quam contra nos? An non illud S. Bernardi pronuntiares: Quid sub custodibus tantis timeamus? nec superari, nec seduci, multo minus autem seducere possunt; Fideles sunt, prudentes sunt,

poten-

potentes sunt, quid trepidamus? tantum sequamur eos, & hæreamus eis, & in protectione DEI Cæli commoremur.

Considera II. Quād efficacia sine hæc motiva ad Sanc-  
rum cultum, cuivis quidem homini, sed Religioso maxime  
& Sacerdoti persuadendum; utpote qui & copiosioribus mu-  
xiliis ad suas functiones opus habeat, & gravioribus à dñe-  
ne prælatis incessatur, adeoque præ aliis etiam indiget?  
tronis & Advocatis valde potentibus, per quos speratoru  
auxiliorum efficaciter fiat particeps?

Considera III. Quantum proinde desiderium tu concepi-  
re debeas, Sanctos quidem omnes, sed speciales præcipue Pe-  
tronos tuos singulari quodam cultu amoreque prosequendū  
Colloquium ad B. V.

### Punctum III.

Considera I. Quis potissimum cultus prædictis Sanctis i-  
te exhiberi debeat; varias tibi forte actiones precèisque in-  
tellectus tuus suggesteret, sed tu pro certo habeto, optimum est  
Sanctorum cultum, optimam vitam; hic enim cultus par-  
missus est, quia ab omni nævo alienus; sed & amplissimus est  
quia omnia bonorum genera, puta jejunium (maxime illud  
generale Deoque gratius, quo jejunatur à peccato) eleemo-  
synam (dum animabus offeruntur opera) orationem (juxta  
id S. Augustini effatum: Vis semper laudare DEUM: bene-  
fac omnia, & laudâsti DEUM) complectitur. Et tandem  
constantissimus, ac perpetuus est, quia diu noctuque conti-  
nuatur.

Considera II. Si Sancti tantos favores exhibuerunt illis  
qui sæpè modicas preces, aut aliud leve obsequium in ipsorum  
honore obtulerunt, quanta beneficia, & favores tu  
sperare possis, si paulò antè descriptum cultum optimè vita  
non uno tantum alterōve quadrante, sed per totam vitam ex-  
hibiturus sis.

Considera III. Quomodo proinde imitari motem eorum  
velis, qui vota sua in melius aliquod obsequium mutant, at-  
que adeò & tu omnes vel certè plerasque minutiōres devo-  
tiones, quibus hactenus Sanctos colere consuevisti, in hunc  
præstantissimum, ipsique gratissimum cultum permutare  
velis. Colloquium ad Christum.